

suis *Inst.* servato eas composuerint. Nam cum et principia et leges iuris publici a civili iure sint diversissima, huius methodus ad illud non sine confusione et obscuritate potuit applicari.

XLV. Tertia nunc adest logomachiarum classis, eas continens controversias, quae de verbis uno vel pluribus agitantur. Quarum explicationem antequam suscipimus, monendus est lector, non omnes super verba lites a nobis damnari, sed esse aliquas apprime utiles et necessarias. Illas puto, quae in interpretatione legum, testamentorum ac diplomatum circa verba ibi ambigue aut obscure posita evitari non possunt; cum non raro ex una voce omnis totius scripti vis dependeat. Quod ut clarius pateat, afferemus aliquas huiusmodi disputationes super verbis celeberrimas; inter quas illustris maxime est illa, quae in interpretatione legis divinae matrimonialis *Levit. XIIIX. u.* propositae debuit ventilari.

XLVI. Nempe constanti haec tenus DD. omnium consensu et perpetua fori observantia receptum erat, matrimonium inter comprivignos, tametsi fratrem sororemve communem haberent, et humano, et divino iure permitti; ac textum illum *Levit. XIIIX. u.* de sorore consanguinea explicari debere secundum Lutheri et plerorumque versiones. Sed turbavit hanc concordiam *Ant. Matthei disp. fundam. 7. §. 18.* atque, ut ipse ait, primus omnium observavit ex novis versionibus *Tremellii, Junii et Piscatoris*; locum illum de nuptiis comprivignorum agere, cum vox *Moledeth*, quam communiter explicant, *quae genita est patri tuo*, sic potius transferenda sit, *quae facit gignere patrem tuum*; ut per eam noverca intelligatur, atque nuptiae cum eius filia ex alio matrimonio nata prohibeantur. Reperti sunt statim, qui pro nova hac Matthei sententia